

aliorum conjunctione alter alteri in discrimine succurrat.
XXXII. Hic qui valent potentiâ, tales vel etiam fortiores,
quorum auxilium vicinum, assciscere debent: quòd qui im-
bellium societatem ambiunt, illi potissimum spectant, cum qua
gente cadant.

XXXIII. An verò fœdera; cum sint juris gentium, cum in-
fidelibus à Christianis contrahuntur? periculosum illud;
sed & id ipsum sacris literis interdictum; permitti tamen pos-
sent, siurgens & evidens necessitas, qua legi non subjecta, id
suaserit.

Q. An cum
infidelibus
fœdera fan-
cienda?

XXXIV. Hic belli gerendi ratio spectatur: cum vel in-
juriâ propulsamus, vel vindicamus contra hostes pacis conse-
quenda gratiâ, à summa potestate vel Magistratu legitime
susceptum.

§. jus geren-
di belli, cu-
jus

XXXV. Finis ejus geminus est, tum injuriâ propulsatio, ^{finis,}
tum ejusdem vindicatio, utroq; jure & naturali & gentium
concessus & approbatus: quòd cum privato injuriâ sibi
factam vel propriâ autoritate, vel Magistratûs auxilio vin-
dicare licet: multò magis id Republicâ permissum, qua tum se
tuetur, tum injuriâ illatam belli denunciatione, cum aliâ id
fieri nequeat ratione, vindicat.

XXXVI. Est q; defensio vel nostrâ, vel aliorum gratiâ in-
stituta. Aliorum gratiâ, si vel injuriâ opprimuntur, vel fœde-
re nobiscum sunt conjuncti: quòd qui non defendit, nec in-
juriâ, si potest, obsistit, tam est in vitio, quàm si parentes, aut
patriam deserat: quòd sociis injuriâ affectis auxiliari equis-
simum.

XXXVII. Sed & invasio concessa, si rerum ablatarum &
raptarum restitutio non subsequitur: tum enim ad arma de-
veniendum, cum aliâ nullâ, nisi in armis spes relinquitur.

C,

XXXIIX.